

243. *Fol.* 15. deest in Codice totus Titulus de VII. Canticis edit. p. 1084. *Fol.* 22. subplet Codex, quae defunt in edit. p. 1094. ad finem c. 43. videlicet: *quia et christum ea die suum ieiunium incepisse quem feria III. baptizatum cognouimus.* *Fol.* 23. omittit Codex c. 49. et 50. quae habentur edit. p. 1095. *Fol.* 29. p. 2. omittit c. 143. a verbis: *simul in eternum gloriantur*; et totum c. 144. Extant haec edit. p. 1106. *Fol.* 31. omittit c. 156. edit. p. 1108. *Fol.* 31. p. 2. Codex inter c. 162. et 164. quae habentur edit. p. 1109. loco c. 163. interfert aliud huc certe non pertinens de Significatione partium Missae, quod incipit: *Quae celebrantur in officio misse ante lectum euangelium respicientia sunt ad primum aduentum domini &c.* *Fol.* 45. perorat Honorius: *Sed jam tempus est calamum deponere &c.* ut in edit. Itaque Codex hic non agnoscit a prima manu alteram Peroratiunculam, cujus clausulam dedi P. 3. *supracit.* at vero paulo recentior calamus eam subplevit in margine, ubi incipit: *Ecce filie iberusalem quas delicias uobis preparavi &c.* et ad sacras Virgines potius quam Viros directa videtur. Prima porro manus non nisi interposita Rubrica: *In die sancto Pentecostes*, Συλλογῶν Sermonum seu potius Materiam homileticam orditur, quae a dicto die usque ad *Ascensionem Domini* totum anni circulum decurrit hoc initio: *Verbo domini. i. per filium. celi ad litteram vel angeli &c.* et fine: *quia*

uisitauit et fecit redemptionem plebis suae. Multae in his piae Narratiunculae, quibus sponsorem agere nolis, nec ullus eorum cum praecedentibus *Liturgicis* nexus. Interim, ac si unum idemque Opus essent, terminavit rubro Librarius: *Explicit gemma anime ab Honorio compilata.* Ita res Autoris hujus nondum in vado sunt. Catalogum Scriptorum suorum ipse texuisse videtur in Opusculo de *Luminaribus Ecclesiae* L. IV. c. 17. Reperit Tritemius n. 357. et Bern. Pezsius in *Dissert. Isag.* T. II. *Thes. Anecd.* p. 4. Inter ea est *Refectio mentium de Festis Domini et Sanctorum*, item *Pabulum Vitae de praecipuis Festis.* At ea non extant, ait *Fabricius in Bibl. med. Lat.* L. 8. Quid si detecta sunt in hoc Codice, quamvis titulo destituta et per imperitum Librarium cum *Gemma Animae* perperam connexa?

DCCCXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3328 XII. Folior. 67. 4. caractere minori eleganter perscriptus et rubricis distinctus liturgicum *Honorii Augustodun.* opus est *Gemma Animae* inscriptum, et non semel a nobis relatum. Integrum hic legitur una cum Epistola praevia et Responso *Solitarii*, quo nomine *Honorium* compellat Librarius, item Epilogo, qui in *Editis Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1128. desideratur, et incipit: *Ecce filie iberusalem quales delicias uobis preparavi &c.* omnia a prima manu.

2031

C O D I C E S

2032

nu. Benignam sane praestaret operam Exemplar istud ad numerosa, quibus Editio scatet, menda tollenda. En specimen. In Epistola addit Codex: *quatenus memoriam tui omnium orationibus liceat iugiter interesse.* In Responso lege *Petens vos pro Patiens. Vento sancti Spiritus pro spem seminis.* In Praefatione a Deo abstractam pro *ideo. gemma auro pro aurum gemma.* In Opere c. 1. in qua agitur pro *in quo. C. 2. a quatuor pro quatuor. Qui ad missam pro qui ad Vesperas. A diabolo liberat. pro liberans. &c.* Neque sententiarum collocatio ubique sibi respondet. Divisio in IV. Libros non notatur, Titulique Tractandorum in solo margine adsunt.

DCCCXXV.

R. 3104 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 90. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas eleganter descriptus, rubricis distinctus, et olim *Monasterij S. Dorothee in viena* haec habet: I. *Incipit liber de missarum mysteriis editus a Lotbario sancte romane ecclesie dyacono cardinali.* Et ab alia manu: *Innocentius de officio missae*, nempe III. istud enim nomen *Lotbarius* creatus Pontifex adsumsit. Retuli bis Tractatum hunc *Vol. I.* alias in VI. Libros divisum, quorum in praesenti Exemplo nulla mentio folis Rubricis Textum distinguuntibus. Contuli eum cum Editione *Opp. Innocentii Colon. 1552.* deprehendique ab eo abesse totam Expositionem

Orationis Dominicae, quae in Edit. L. V. *Capita XVII — XXIIX.* conficit, et decurtatam esse *Libelli Conclusionem*, quae post Edit. verba: *ut infra breue temporis spatium nec ad —* ita praecipitat: *me uersus uix finire que cogitavi valui.*

II. fol. 39. *Postilla super Cantica.* Incipiunt: *Osculetur me &c. Descensus ad sententiam trahitur de illa Glosa. Omnes anime nociones &c.* Ita et per decursum *Glossam Ordinariam* compilat ignotus Autor. Idem instituit agere circa *Parabolas et Ecclesiasten*, sed adhaesit in Prooemiis.

III. fol. 63. absque inscriptione eodem modo illustrat *Epistolas VII. Canonicas* ita exorsus: *Juxta numerum euangelistarum IIII^{or} cognouimus fuisse auctores canonicarum epistolarum. S. iacobus. petrus. iohannes. et iudas &c.*

Tabulae Codicis interius conuestitae sunt conscissis laciniis Commentarii cuiusdam Rabbini, in quo sermo de קול דמי אחיך עב; קין שהרג את אחיו; Verum nulla linea integra.

DCCCXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3161 XIV. Folior. 78. 8. per duas columnas bene, sed non una manu scriptus, rubro distinctus, et quondam *Monasterij S. Dorothee wienne* ita init: *Incipit prologus de diuino officio domini alberti de ordine predicatorum episcopi Rathspen.* Initium: *Ecce ego declinabo in vos sicut flumen pacis &c. De Sacri-*